

ricie: lapide magis fragilis, ferro minus ponderosa: quę polita ferri refert nitidi aut vsitati formam: politur autem attritu & leuitate cuiusuis corporis durioris. Locum, in quo effoditur, ignoro: nec vsum cognoui: differentiam eius inter terram, & lapidem, & metallum obseruauit: vocatur autem nostro idiomate ferri argilla. A ferro cognomentum habuit Ludouicus quartus princeps Thuringiæ, è Lotharij imperatoris filia natus, quia propter nobilitatem sibi inuisam, toto armatus corpore semper incessit. Ferrobraciorum familia, à brachijs armatis, apud Italos nobilis. Ferreus lectus, Gigantis Ogi, regis Basanidis, memoratur in sacra historia. Ferreum lectum imposuisse Othoni patri suo Albertum primum Marchionem, in nostris legitur Annalibus: quod ego de cauea aliqua, aut carcere intelligo. Ferrei Eumenidum thalami noti sunt poëtis: item ferratę trabes in ar